

Lbb. 60.



7

J A D D I
Summi Judæorum Pontificis
ORATIO PRO REPUBLICA

Psalmo CXIX.

IN ACADEMIA JULIA

Anno MDCCXIV.

Mense Junio & Julio

ad solidæ Exegeticos normam

publice recensita

ab


HERMANNO von der Hardt / Dec.



HELMSTADII,

TYPIS GEORG. WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.

OF A HISTORY OF THE
TOWN OF
IN THE COUNTY OF
BY JOHN
M.D.C.C.XIV



Printed and Sold by
GEO. WOLFE, at HAMM, and TYDGE.



Interest nostra, interest publici, interest posterorum, constare peritis, & bonarum literarum consciis, quæ in republica literaria & apud nos agantur. Non enim posteris est æmulandi exemplum, nisi cernant præeuntes, & majorum studia. Neque nostris nostroque ævo est ex virtute voluptas, nisi usum videant & emolumenta. Neque nos ipsos juvat contendere, & fortiter agere, nisi ex bene recteque actis atque dictis, ex operibus laboribusve publicis, nos juste gaudere, intelligant cordati. In Academiis, negotiorum, dissertationum, commentationum, omniumque literarum mensura, est coronæ audientis vel legentis profectus & usus. Auditorum concio est dicendi norma, illorum attentio est doctrinæ regula & vita. Omnia illis, & per illos publicæ rei.

Et in nostro foro, Philologico atque Exegetico, nostra, utrorumque, dicendi audiendique meta, usus est, qui in publicam rem ejusque salutem redundet *vel maximus*. Spectamus, ut res fert, suo loco, philologiæ exordia & fundamenta, pro illis, qui his indigent: Sed & solidos suo tempore damus exegeteos cibos, qui illos concoquere valeant & appetant. Observandi utrique Ecclesiæ filii, hi ut assurgant,

gant, illi ut roborentur. Sint in illis, qui non acquiescunt, in rerum cognitione, ut sibi discant & sciant, sed & qui *modum docendi spectent*, si qua vel in scholis vel Academiis ad docendum illos vehat fors superior. Omnibus oportet dare, quod est ipsorum, ut præstemus quod est nostrum.

Nupero Programmate, *d. 5. Apr.* pro *Consilio & iudicio Lutheri de linguis*, nunciaveramus, nos *per æstatem hanc Hebraicæ lingue fundum*, quoad integram illius naturam & indolem, pro universa forma & plena compage monstraturos. Quod iuxta sua brevitatem efficere conati, nihil in linguæ visceribus intimis prætermittentes. Curate singula, quoad totum linguæ & oris hebraici habitum, quoad flectendi modulandique sonum ac motum, excussimus; ne quid vel in intimis dialecti latebris existeret, quod non exacte demonstraretur. Rationes omnium apertæ, perspicuæ, ex ipsa sermonis humani & pronuntiationis natura derivatæ. Quo pacto admiranda linguæ brevitatis, & efferendi ac significandi vis, dilucida & plana.

Ore hebræo aperto, etiam *pectus* fuit aperiendum. Integra orationis textura retexenda, ut *differendi* in scriptoribus sacris & *scribendi stylus, genius, & dignitas*, sed & *penetrandi vis*, cum *affectuum pondere*, distincte cognosceretur. Novisse autorem non est, numerare voces & syllabas, sed *mentis, consilii, scopi, affectuum penetralia* in totius sermonis periodo contemplari & penitus percipere: Frontem, oculos, sanguinem, animum, spiritum auctoris, quo inter dicendum aut scribendum motus, in oculis habere inter legendum, tantoque conspectu affici, cum gaudente gaudere, cum dolente dolere. cum comminante terri. Nec enim intelligere est, nudum verborum inire computum, quod solum est iners & frigidum, sed ex intima orationis *strutura*,

Æura, mentis, intentionis & voluntatis intueri gyros; invitandi, permovendi, instruendi, consilia & meatus pervidere ac comprehendere.

Spem feceramus eodem Programmatis nuncio vel *Jobi* vel *Ecclesiastæ*, pro curata Exegeſeos indole *recensendi*. Sed librorum horundem prolixitas aliud ſuaſit plurium menſium continuorum ſpatium. Libuit illorum loco *nunc*, & pro *Statutorum* ediſto, nobilem eligere *Pſalmum*, qui arduæ & præclaræ operæ fieret documentum. Placuit *centefimus decimus nonus*, qui juſtâ quantitate, & componendi artificio, *libelli*, *nec modici*, pro orientis moribus, æquaret aut ſuperaret magnitudinem.

Exiſtimari poterat liber intellectu perquam facilis, quod idem videretur centies dici, in honorem legis. At verò, illis appareat, qui nec *hiſtoriæ* nec *antiquitatis* conſulant in *exegeſi præſidia*, quibus ſatis umbram inſpexiſſe verborum, aut corticem arroſiſſe, rebus & nucleo reliſtis.

Pro auditorii ſolertis & cupidi commodis, pro genuinæ interpretationis nativa conſtitutione, (inſcriptionis luce deficiente,) ex *hiſtoriæ* vinculis *autor* fuit eruendus. Cum auctore *occaſio ſcribendi*, *argumentum* *fatorum* & *rerum geſtarum*, debuit ſiſti. Præterierunt illa & noviffimi, *D' Outrein*, & *Salomo van Til*, præ aliis in hoc foro clari.

Chronologiæ & *hiſtoriæ* lumen præfulgidum, quod denſis in hoc libello tenebris largiffime mederetur. *Jaddus*, *ſummus Judæorum Pontifex*, difficillimis reipublicæ motibus, civilibus & ſacris, perinſclytus, qui veritatem tueri noſſet & conaretur, pertinaciſſimis periculis obſtantibus, *autor libri*. Unde *argumentum*, ex *fatorum* celebritate, ſublime; quod *veritatis encomium* & *defenſionem* contra præfraſtos exhibeat hoſtes.

A 2
Chro-

Chronologiae series monstravit intervallum temporis, & ansam scribendi urgentissimam, cujus hic vestigia compareant brevissima.

A captivitate Babylonica, quando & Prophetae floruerunt, & ab aliis viris divinis multa edita scripta sacra, à primo anno Cyri Judæam gubernarunt Serubabel & summus sacerdos Josua filius Jozadak. Sub his Haggæus & Zacharias florere, templo post multa impedimenta fuscitato. Præfuit hic Josua, primus ab exilio Pontifex, 17. annis: Puta, Cyri septem annis, Cambysis septem, Smerdis uno, & sub Dario Hystaspis duobus primis. Hujus Josuæ meminit Nehemias, historicus, præter Prophetas, c. 12, 10.

Josuam in supremo sacerdotio excepit filius Jojakim, Nehemias allegatus, c. 12, 10. 13. 26. Superfuit ab anno tertio Darii Hystaspis, usque ad annum illius decimum nonum, annis 17. Sub quo Zacharias Propheta in templo occisus, templum absolutum, Matachias auditus, Estheræ vel Artistonæ fata regia in Perfide prodita, Esra Hierosolymam à Dario missus.

Jojakimi filius Eliafchib, Nehemias nominatus, c. 3, 1. 12, 10. 29. in Pontificatu successor, ab anno vigesimo Darii Hystaspis, ad annum ejus 36. sub Xerxe annis 11. sub Artaxerxe Longimano annis primis sex. Qui fuerunt anni Pontificatus 34. Sub quo, defuncto Serubabele, Nehemias ablegatus à Dario Hierosolymam, pro Hierosolyma restauranda & gente dirigenda. Quod fortiter & prudenter peregit, Esra juvante, duodecim primo annis, dein porro longius, Sanballato Choronia, Toparcha Moabitidis, & Tobia Ammonitidis, vehementer repugnantibus: Inprimis cum Eliafchibi domus, Nehem. 13, 28. cum Sanballati, pagani, familia affinitatem contraxisset. Quos motus composuit Nehemias. Rediit sub eodem Dario in Persiam. Rediit mox & in Judæam.

Elia-

Eliaſchibi filius *Jojada*, laudatus *Nehemiæ c. 12, 10. 22.* in ſuprema ſacerdotii dignitate excepit patrem, ab anno ſeptimo *Artaxerxis Longimani*, uſque ad annum illius 49. dein ſub *Xerxe anno 1.* ſub *Sogdiano anno 1.* ſub *Dario Notho annis 18.* Qui erant anni regiminis, ſacri & civilis, 63.

Jojadæ filius, Jochanan, Johannes, notatus *Nehemiæ c. 12, 11. 22. 23.* præfuit *Judæorum rebus*, ab anno 19. *Darii Nothi*, uſque ad *Artaxerxis Mnemonis* annum 31. Qui erant præſidii *Judaici anni 32.*

Jochananis filius Jaddus, celebratus *Nehemiæ c. 12, 11. 22.* clavum tenuit reipublicæ, in choro & foro, ab anno 32. *Artaxerxis Mnemonis*, uſque ad annum illius 40. Porro ſub *Ocho annis 26;* ſub *Arſe annis 4.* ſub *Dario denique Codomanno annis primis tribus*, & ſub *Alexandro Magno annis circiter prioribus tribus.* Qui fuerunt anni 45.

Hoc Jaddo Judæorum Pontifice ac Præſide, Pontificatus & regiminis anno quadrageſimo tertio, Darii Codomanni quarto, Alexandri, Judæorum jam domini, primo, tertio ante Darii Codomanni obitum & regiminis per orientem Perſici finem, editum eſſe Pſalmum hunc 119. nervus *Pſalmi univerſus* luculenter docet: Adeoque à *reditu ex captivitate Babylonica, Judæorum rebus reſtitutis, anno 206.* biennio ante *Perſici domini terminum*, qui erat *Judæis ab exilii fine annus 208.*

Jaddum hunc, virum maximum, in ſenectute illa gravi, cum jam octogenarius aſpera multa eſſet expertus, divino ſpiritu actum eſſe ad librum hunc excelsum concinnandum, luculentiffimæ arguunt temporis & fatorum circumſtantiæ, præcipua hiftoriæ momenta.

Samballatus Cuthæus ex agro Damasceno, à Dario Codomanno, anno regni primo, Samariæ conſtitutus erat toparcha. Qui poſterior Sanballat ſub Jaddo, toto genere alius à priori

priori Sanballat sub Eliaſchibo. Primum tempore, quando prior Sanballat à posteriori diſtitit annis 167. Dein ortu & genere, priore Choronita, posteriore Cuthæo. Porro præfecturâ, cum Sanballat Choronita putetur fuiſſe præfectus Moabitidis, Sanballat Cuthæus præſes fuerit Samaritidis: Ille trans Jordanem, hic cis. Quæ omnia toto cœlo differunt. Ille à Dario Hyſtaſpis, hic à Dario Codomanno. Ille haud longe à Perſici domini exordio, hic ferme ſub ultimum illius habitum. Tanta utriusque diſtantia. Quæ non animadverſa plerosque hiſtoricos & chronologos recentes miſere torſit, qui utrumque Sanballatum pro uno haberent, grandi in veterem hiſtoriam inducã caligine. Curatum temporis & hiſtoriæ ſtudium lumen rerum admirandum.

Hic Sanballatus Cuthæus, jam ſenex, factus à Dario Codomanno Samaritana gentis præfectus, callide Judæos ipſumque Jaddum circumventurus, fratrem Jaddi, Pontificis Maximi, Manaffen, induxit, ut filiam ſuam Nicaſo duceret. Non diſſimili conſilio auſuque, quo ante centum & ſexaginta annos ac plures, prior Sanballat Choronita, itidem paganus, idololatra, filiam dederat, in Eliaſchibi ſummi ſacerdotis domo nepoti, Joadæ, filii, alteri filio. Quod prius fatum Nehemias ſuo tempore erat vehementer ultus, Neh. 13, 28. cum pugnaret cum legibus reipublicæ Judaicæ fundamentalibus. Manaffen exemplum ſecure ſecuti erant & alii ſacerdotes, civesque Judæi, magno numero.

Jaddus, Manaffen frater, ſummus ſacerdos, gentis gubernator, legum cuſtos & vindex, non deſtitit, Nehemias & Eſræ quondam exemplo, & hiſ mederi novis fatiſ, ſub altero Sanballato: Non minori quidem zelo, ſed difficiliori ſucceſſu, triſtiſſimoque eventu. Vix Sanballatus cum Manaffe anno circiter primo Darii Codomanni affinitate junctus,

junctus, quando anno secundo statim *Jaddus cum toto sacerdotio Judaico* eapropter litibus implicitus durissimis, quæ Jaddo pericula crearent officii, fortunæ & vitæ, reipublicæ minarentur exitium. *Jaddus*, pro verbo, pro legibus, pro integritate atque incolumitate reipublicæ juxta legum fundamenta. *Cum Jaddo pars sincerior sacerdotum. Manasses, cum sua parte*, eaque magna, contra vim & obligationem legum, pro licentia quæsitâ. Hinc in synedrio, in congressibus, certamina, lites, pugnæ, inter partes, fratres magnos, *Jaddum & Manassen*, cum affectis. *Jaddus* veritate & verbo nixus, pro salute gentis; *Manasses* potentiâ Sanballati fultus, & arbitrio tot sapientum senatorum inter ipsos Judæos. Quæ bella intestina *Jaddo* curam immanem & discrimina vitæ pepererunt, pro veritate & reipublicæ commodis ex legum constitutionibus dimicanti: *Manassi* verò, & illius parti feroci, fugam indixerunt & defectiorem suaserunt ad Samaritanos. Quando enim *Manassi* publico decreto imperatum, Sanballati genus aut sacerdotium linquere, *Manasses*, nil veritus, audax, ad aram accedere pergens, ab ara per *Jaddum* tandem repulsus, ad Sanballatum Samariam perfugit, *Jaddo* & reipublicæ diraminatus. Nec otium *Manassis* sociis, parti magnæ & illustri: Qui omnes *Manassen* secuti, Samaritanis mixti, novum Samaritanorum rebus dederunt incrementum & grande, in Judæorum terrorem & extrema pericula.

Sanballatus, pollicitus *Manassi* & templum & summum sacerdotium, quod à *Dario Codomanno* impetratus, cum videret anno *Darii quarto* Alexandrum ex Græcia in Syriam penetrare, Damasco occupatâ Tyrum obsidere, occasione captata, ut *Jaddo* ægre faceret & *Manassen* juvaret, ad *Alexandrum* defectit, in castra ad Tyrum 8000.

B

milites

milites Samaritanos pro subsidiis misit; *templum in monte Gerisim prope Schemum suscitandi*, Hierosolymitano par, & in illo *Manassen generum, summum constituendi sacerdotem*, jus & facultatem exoravit. Subitò ergo illo statim anno opus aggressus, *templum semipaganum, pro desertoribus Judæis & reliqua colluvie suscitavit*. Quæ magna *Jaddi calamitas*, in tanta viciniâ, in tanta sanguinis inter Jaddum & Manassen propinquitate, in tam terribili divortio sacerdotii & gentis.

Hoc unum *Jaddi fatum*, eodem mox anno, Darii Codomanni quarto, Alexandro Tyrum obsidente, & Sanbalato jam gloriante ac templum erigente, furentibus desertoribus, Sichemi degentibus, *auctum metu armorum Alexandri*, qui Jaddo & Hierosolymis minaretur exitium. Quando enim Alexander, in castris ad Tyrum, per nuncios à Jaddo poposcerat comœatum militemque subsidiarium, *Jaddus*, memor sacri juramenti, Dario Codomanno præstiti, *deprecatus apud Alexandrum postulata*, devotione erga Darium & juramento non temere frangendis.

Quæ visa Jaddi ad bellum proclivitas *Alexandrum ad minas contra Jaddum & urbem dirissimas* compulit. Et hic *armorum Alexandri metus*, violentior visus *insidiis Samaritanorum*. Inter utrumque ignem eodem tempore Jaddus, populi caput. A dextra & sinistra obsessus, ab hostibus magnis, fortibus & callidis. Quid in his, turbis & periculis, publicis omnibus, utrisque minacibus, exitium præfagientibus, rei sacræ & civili, urbi & genti? Quid inquam in his incendiis Jaddo animi? Quid consilii? Quid spei? Jaddum premeret cœlum & terra.

Ceterum, utrobique, *prudens & fortis Jaddus pro salute gentis & reipublicæ*. Antea *Manassis tumultum comescue- rat constantia professionis & veritas invidiâ*, Manasse cum cæteris

cæteris abeuntibus. Nunc, ad nutum Dei, Jaddo post sacra noctu oblatum, *tempestiva devotio* erga Alexandrum, ante Hierosolymæ portas, cui obviam ivit Jaddus, habitu Pontificali, cum sacerdotum collegio & civium turba, *urbem servavit & religionem*, Alexandri gratiâ amplissimâ obtentâ.

Tantas tempestates uno illo anno *eiusque superaverat Jaddus*, pro gentis suæ salute. *Fidem & veritatem* servarat integram à Manassis artibus & viribus; *gentis immunitatem & tranquillitatem* ab Alexandro exorarat salvam. Utroque prægrandi reipublicæ discrimine & fluctu sedato, nondum proflus res omnis publica in vado. Reliquerat Manasses, ad Samaritanos profugus, sectatores & amicos, non paucos nec parvos, qui Jaddo refragari non desisterent, & negotia facessere pergerent. Absentes etiam, Manasses & confortes, Sichemi habitantes, non abjecere odia, insidias, minas. Inprimis, cum Alexander copse anno, Hierosolymâ discessurus invitaretur à Samaritanis, quos æque ac Judæos, & *Sichemiticum novum templum*, in quo Manasses summus sacerdos, inviseret æque ac Hierosolymitanum. Tametsi verò Alexander illis non omnino annueret, omniaque differret ad reditum suum ex ægypto, Jaddus tamen non caruit metu, ne qua Alexandrum in Jaddum excitarent.

In his tantis publicis discriminibus, incolumitatem reipublicæ & integritatem legum concernentibus, *Jaddus hunc suum libellum composuerit, inque hæc ipsa immania publica pericula*, quæ à Manasse & Samaritanis *legibus sacris*, ab Alexandro *genti & urbi* porro impenderent.

Est *apologia Jaddi pro se suoque in verbum & fundamentales leges studio, pro veritate verbique integritate, pro*

Ecclesia & republica sua, cujus erat caput, pro constantia sua in verbi defensione contra Manassem fratrem, Sichemi in novo templo in monte Gerisim summum sacerdotem. Est gravis reprehensio Manassis, & sociorum, qui pro licentia obtinenda, leges, reipublicæ fundamenti loco à Mose positas, convellere non reformidarant.

Quæ tempora & historia universo libello lucem affundunt clarissimam, ut vis totius orationis, per singula intervalla, & affectuum motus in Jaddo, pelluceant luculenter.

Quo filo totum libellum ordine percensuimus, rerum gestarum luce semper præeunte, Jaddi rebus ubique præsentibus. Certo confisi ætate Jaddi, viros etiamnum extitisse, divino spiritu ad scribendum actos, si non prophetarum, tamen virorum divinorum caractere. Quippe extra dubitationem volumen Nehemæ divinum agnoscit autorem. At verò pars illius voluminis ipsum Nehemiam habuerit scriptorem, pars alià ejusdem operis historici necessario alium habuit autorem, Nehemia dudum defuncto. Siquidem in hoc opere, cap. 12. præter Jojadam & Jochananem, summos sacerdotes, qui Nehemia longe posteriores, qui sub Artaxerxe Longimano, Xerxe, Sogdiano, Dario Notho, & Artaxerxe Mnemone, floruerant, expressa Jaddi summi sacerdotis fit mentio, v. 11. & 22. Neque hic Jaddus, tanquam juvenis & privatus, sed ut summus sacerdos memoratur. Diferte quippe in ordine summorum sacerdotum præcedentium recensetur, qui erant Eliaschib, Jojada, Jochanan & Jaddus. Porro, Levitarum & sacerdotum catalogus, uti sub Eliaschibo, Jojada & Jochanane, summis sacerdotibus, ita & sub Jaddo, velut summo sacerdote, dicitur consignatus. Sacerdotes enim & Levitæ, non sub privato, sed sub summo capite, ipso Pontifice maximo.
Ulterius

Ulterius, hi *Levitarum & sacerdotum Catalogi*, etiam sub *Jaddi Pontificatu*, exarati dicuntur *v. 21. usque ad tempora Darii Persæ*. Hic *Darius*, dictus *Codomannus*, ultimus Persarum in oriente Dominus, quem vicit Alexander, eumque universo orientis imperio exuit, anno sexto misere extinctum. Et vox *usque, usque ad Darium Persam*, hic *include* sumenda, cum breves essent illius anni, non nisi sex. *Catalogi* igitur illi sacri, ad finem Persici imperii sub *Codomanno* extensi. Atqui sub *Dario Codomanno Jaddus* jam *senex, octuagenarius*, qui vitam & regimen suum ad finem circiter *Darii Codomanni* produxit. Alius sane nullus hic loci *Darius ille Persæ*, quam *Codomannus*. Ille namque fuit *Darius*, sub quo *Jaddus summus sacerdos*: *Jaddus* autem sub nullo alio *Dario Pontifex*, quam sub *Codomanno*, *Persarum* ultimo.

Liquet manifestissime, *Jaddo & Dario Codomanno* expresse memoratis in libro *Nehemie*, extitisse *scriptores sacros* tempore *Jaddi & Darii Codomanni*. Horum enim res descripsit *scriptor sacer*, in volumine *Nehemie*. Quisquis ille fuerit *augmenti* autor, sufficit fuisse *scriptorem sacrum*. Eiusdem namque *autoritatis* omnes libri sacri.

Quandoquidem ergo tempore *Jaddi* *scriptores* extitere sacri, ipsummet *Jaddum* in his *viri feret maximi summa & incomparabilis religiositas*, *verbi defensio acerrima*, *religionis propugnatio severissima*. Et hunc ipsum *divino oraculo in insomnio* fuisse *monitum*, de rebus *Alexandri* pro salute *reipublicæ* recte *instruendis*, quem *excipere* solenniter *divinitus* iustus, refert *Josephus*.

In *Jaddum* igitur hunc, *virum summum, religiosissimum*, cum omnia *libello significata ardua momenta exactissime* quadrent, *illi libellum juste dari existimavimus*. Nemini *quis ne-*

gamus, de autore dispiciendi curatius. Pronunciamus, quod sollicitè cuncta pensiculantibus visum. *Historia via.*

Pertexuimus librum, ut auditorum attenta cupido merebatur, studio intenso, curate, mente auctoris & rerum affectuumque momentis sollicitè ponderatis.

Ne quid etiam in singularum vocum *insita significandi virtute* quicquam desideraretur, *versionem* ubique præmissimus *geminam*, pro sensu dilucidissime exprimendo. Ex quibus *græca verbum verbo plene redderet*, Latina hebræis & græcis simul responderet, ratione sensus aut sententiæ. In versione græca concinnanda, pro hebræorum plena significatione exprimenda, uti jus nobis vindicavimus *verbum verbo reddendi*, ita & illud juris aut licentiæ sumisimus, ut priscum dictionis Græcæ usum eligeremus, ut *verbum verbo reddere fas esset, constructione plana ubique & aperta.* Quod *presse vertendi genus*, auditorum commodis sacrum, lumen profecto hebræis non parvum foeneratur; Quando eodem ore videntur loqui *hebræus & græcus, pari sono parique emphasi.* Compareto *exemplum primæ literæ N*, in gratiam aliorum, absentium, vel & posterorum, quibus *incrementa studiorum*, cum Fontium sacrorum luce, grata futura.

1. אֲשֶׁרִי תִמְיָמִי דָרַךְ הַהֲלָכִים בְּתוֹרַת יְהוָה:

μακαρίως ἡμῖνοις τροχῶ, τοῖς κλειθείσασιν ἐν τῇ χορηγίᾳ τῆ
ἱπαρχουτος.

Prosperè, legitimis viâ, incedentibus in institutione Dei.

2. אֲשֶׁרִי נִצְרִי עוֹדוֹתָיו כָּכֵל לֵב יִדְרְשׁוּהוּ:

μακαρίως

μακαρίως συντηρεῖσθαι διαταγὰς αὐτῆ, εἰ ἐφ' ὅλα ἀσπλάγχυνα
φροντίζουσιν αὐτόν.

*Prospera, servantibus constitutiones ejus: Qui ex toto pe-
ctore observant eum.*

3. אֵן לֹא פָעִיל עוֹלָה בְּרַכְיוֹ הִלְכוּ:

πάντα ἐδόλως ἐπιτελεῖσθαι παρασχεῖσθαι, ἐπὶ ταῖς προχαιῖς αὐτῆ
κελευθεῖσθαι.

*Omnino non perficiunt iniquitatem: Sed in viis ejus ince-
dunt.*

4. אַתָּה צִוִּיתָהּ פְּקוּדֵיהֶן לְשֹׁמֵר מִדֹּר:

τύχη δὴ προσέταξας ταῖς ἐπιταγὰς σε τῆ ἐμφράσσειν κομιδῆ.

Tu mandasti praecepta tua ut custodiantur studiosè.

5. אֲחֵלִי יִבְנוּ רַכְיוֹ לְשֹׁמֵר הַקֵּיף:

ὄφελον κατευθύνουσιν τροχιαί μου, τῆ ἐμφράσσειν τὰ δικαιώ-
ματά σε.

Utinam dirigantur viae meae, ad custodiendum jura tua.

6. אִן לֹא אֶכְשַׁב בְּהַבִּיטִי אֶל כֹּל מִצְוֹתֶיךָ:

Ἐς τίτι ἐδόλως ἐπαιχύνομαι, ὅτι τὰ παλαιάνειν με ἐμπλαδὸν
ὅλων παραγμάτων σε.

Tunc neutiquam erubescō, ubi respicio ad omnia tua praecepta.

7. אִוְרָה כִּוְשֶׁר לִבְכִּי בְּלִמְדֵי מִשְׁפָּטֵי צִדְקָה:

τίδω σε ἐπ' ἐρῶντος τῆ ἀσπλάγχυνα, τῶ μελετῶν με θρησκείατα
τῆς δικαιοσύνης σε.

Celebro

*Celebro te ex integritate pectoris, dum meditor decreta
tua iusta.*

ש. את חקך אשר אל תעזבני עד מאד:

Τὰ δικαιώματά σου ἐμφορίσσω, πάμματα δόποτίος μοι, ἔστ
νομισθῆ.

Jura tua custodio, ne rejicias me, omnino.

Satis abundeque pro *ideâ versionis* integri nostri libelli, in
amplos futuros usus auditoribus solertibus dataæ. Satis pro
exemplo curatæ interpretationis, quæ *vim vocum* explorat &
exprimit sedulitate justâ. *Lucis*, confido, plusculum.

Confecimus hunc, *Academico studio* puto congruum
& *dignum laborem*, inusitatum quantumvis & ultra fuetos
circulos. Intelligent posteri, fidam nostram & circumspe-
ctam illis præeundi industriam. Gaudebunt, æmuli. P. P.

in Acad. Julia, mense *Augusto*, A. 1714. quando laudato
Jaddi libello, ad justæ Exegefeos normam recen-
sito, læti imposuimus finem.




Fd 1275

X 2366362


10/17

11/17



ET





J A D D I

Summi Judæorum Pontificis

ORATIO PRO REPUBLICA

Psalmo CXIX.

IN ACADEMIA JULIA

Anno MDCCXIV.

Mense Junio & Julio

ad solidæ Exegeſeos normam

publice recensita

ab

HERMANNO von der Hardt / Dec.



HELMSTADII,

TYPIS GEORG. WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogt.

